



Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. Obss. super 2 Timoth. III et IV.
2. Sectionis VII Concilii Trident. exemplum.
3. De regeneratione monastica.
4. de prophanis theol. acaomatica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christo ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana ipsi natum.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Antiquitatum hermeneuticarum ex Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Hispaniam inter Germanos ref. christ.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observandis.
14. In Math. I. 17.
15. de caecunda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. de sp. s.
18. Illustratio antiqui carminis ex euangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recolen. da historia defensus ad infors.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Despodovos et euangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter barquentes et nequevares.

II. J. A. Neigelt.

23. singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discrepantia propria et tropica dictione.
25. de Calenis patrum graecorum in nouat.
26. in 1 Cor. II. 20 et 27.
27. interpp. cautionis anglicae Luc. II. 44.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sequit maioribus legitatione biblica.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. xxviii. 17.
33. in Joh. xii. 20-28.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Act. xvi. 1-17.
37. In Joh. xii. 17-18.
38. Christus in No. Reign uais N. 21. - 1111
T8 quod est 2 Cor. III. 6.

N. 129.

15.

D. IO. SALOM. SEMLER
COMMENTATIO
DE CAVENDA MOLESTA
SEDVLITATE SACRA

AD CORRIGENDAS
QVASDAM IRENAEI ET TERTVLLIANI SENTENTIAS.



AD
SACRAM MEMORIAM
IESV INTER HOMINES NATI
LIBERALITER COMMENDANDAM



HALAE AD SALAM
EX OFFICINA HENDELIANA



12.

D. IO. SALOM. SEMMLER

COMPOSITUS

DE CAVERNIS MOESTIS

SEDVILLITATE SACRA

AD CORNIBUS

QUANTUM REMANET IN VESTIBULO

13

STANIM MONIAM

1887

MAGNIFICENTIA

MAGNIFICENTIA





Queniamadmodum ingenuae et probae mentis exempla, recte repetimus, inde ex prisca illa aetate, quae primam complectitur christianorum historiam: ita illud etiam nos studiosius obseruare decet, vt ne iudiciorum nostrorum perfectam quasi regulam ex istis antiquiorum temporum cunctis scriptionibus desumamus. Etsi enim iure meritoque illa bonae mentis studia et documenta adamamus, nobisque et aliis exempli atque incitamenti loco proponimus: facile tamen perspicere possumus, intelligendi et arbitrandi iustis exercitiis istorum temporum tirocinia nos non solum ipsos assequi, sed etiam saepe superare posse; cum certum sit, bonos etiam istos scriptores aut ipsos adhuc abuisse a perfectiori cognitione christianismi, aut dedisse illud aliorum tenuiori, atque rudiori modulo, vt tractarent non raro argumentum susceptum minus diligenter et minus accurate, quia putabant, lectores nondum pares esse admittendae copiosiori et castiori explicationi. Huius diuersae disciplinae vt non desunt vel illa exempla, quae repetuntur ex sapienti institutione, qua praecipue christianorum doctor Iesus ipse vti solebat, quamque in Pauli praecipue epistolis informatam reperimus: ita etiam eruditiores et diligentiores multi doctores, inde ab vltima aetate, similem in docendis aliis curam diligentiamque adhibuerunt, vt rudioribus atque imperitioribus aliter darent operam, aliter vero iis, qui intelligendi facultate istos non parum vince-

rent. Maltus est in commendanda hac diligentia et *ypocri Clemens* ille alexandrinus, eruditus et probus scriptor; et post eum longa illa alexandrinorum *diadochi*, atque, quod audemus affirmare, eruditissimi quique tractatores ecclesiastici, qui *κρηγμα*, seu doctrinam illam ecclesiasticam publicam, et *δογματα*, Episcoporum et sacrorum interpretum domestica intelligendi exercitia et sollempnia documenta, semper solent distinguere. Neque satis iusta est aut gravis auctoritas eorum, qui solent contrarium praecipere atque istam prudentiam reprehendere; quos inter primi fere sunt *Irenaeus* atque *Tertullianus*, qui, ut solent in multis sententiis et rebus mirifice convenire, communi quasi studio ad graecos latinosque christianos conuellant et exagitant *Gnosticorum*, ut dici vulgo solent, illam admonitionem: vel ipsos Apostolos aliter peritioribus praeiuisse cognitionis christianae formam atque indolem; aliter vero imperitioribus exposuisse. Nostrum iam non est, copiosius de hac re tractare, atque illam declamandi malignitatem refutare, qua praecipue ille Tertullianus abuti solet; non deerit autem alia opportunitas, excutiendae huius vniuersae causae, quae tam ad hunc negligentem docendi modum atque impetum quasi, (cui *traditionis* illam illiberalem debemus auctoritatem) pertinet praecipitem, quo plerique postea scriptores maxime duci aut agi solent; quam ad istam satis suspectam harmoniam et confederationem quasi quorundam scriptorum istius temporis; quae a viris eruditis nondum satis obseruata esse videtur; eximio autem momento non caret, ad varia capita historica et dogmatica seculi secundi et tertii christiani accuratius atque vtilius explicanda.

Vt igitur propius accedamus ad propositum, breuiter iam illustrabimus eum locum, qui describit Mariam; satis celebrem et honoratam matrem praesantissimi inter omnes homines Iesu, quem scimus, maximatorum beneficiorum, dei numine atque iussu, auctorem ad nos pariter esse ac ministrum, si vel maxime aberat omnis illa exilis atque tenuis laudatorum et praecorum sedulitas, quae varia opinionum miracula sensim et reperit et ad alios grauissime sanxit; nullo sane vero atque certo ad rem christianam commodo atque emolumento. Nisi potius, ut dicamus, quod res postulat, multum impeditenti atque prauitatis sacrae talibus studiis, minus probis, sensim subnatum fuisse, a nobis statuendum est. Nempe

pe satis medioerā putamus esse illorum studia, qui nomini illi. *παρθενος*, iam olim sic solebant inhaerere, vt maximi ad religionem informandam momenti esse decreuerint, diligentius aliquem repetere vniuersam physicae virginittatis formulam atque imaginem. Primus, qui tam medioerem locum, iusto diligentius tractauit, videtur ille *Irenaeus* esse, quem solemus *Lugdunensem* designare episcopum, auctorem *quinque librorum aduersus Haereses*, quorum tenuem atque exilem indolem hic iam non licet copiosius describere. Is igitur, cum istud carmen Iesaiæ VII. 14. tractaret ^{a)} arrepto isto nomine *virginis*, signum illud, quod Iesaias isto tempore portendebat, ita omnino interpretatur: vt non solum reprehendat translationem illam aliam *Theodoionis* et *Aquilae*, qui non *παρθενος*, sed *νεως* scribere ausi fuerint; sed etiam verbosius *de terra virgine* commentetur, e qua et primus homo conditus fuerit, et Iesus similiter ex *virgine* natus. Atque istam quidem primam partem, *παρθενος* vniue transferri debere, omni ratione studet confirmare, longa narratione adiecta, de *diuina inspiratione* eius translationis graecae, quae solet dici, *LXX seniorum*, a qua alios discedere, fas esse negat. Liceat hic quaedam et nos superaddere, quae ex diligenti consideratione celebratissimae huius causae aut fabulae, nobis videmur obseruasse, vt porro contingat, plus tandem lucis litterariae colligere.

Hanc igitur narrationem *Irenaei* dicimus omnem descriptam atque desumptam esse ex *Clemente*, alexandrino; ^{b)} vt facile omnes perspicient, qui verba et sententias vtriusque scriptoris voluerint conferre atque comparare paulo diligentius. Mirari licet, cum fuerit haec causa, quae istam translationem complectitur, a tam multis viris tam diligenter tamque frequenter inde ab aliquo tempore tractata, hanc tamen rem, de qua admonemus, nondum fuisse obseruatam. Illi certe meliores et diligentiores scriptores, *Van Dalen*, et *Hunfredus Hodius*, poterant iam iam hoc idem oculis quasi vidisse, qui toties istas veterum narrationes de hac translatione manibus suis versarunt. Ne vero rem nouam et parum verosimilem esse putent alii, admonemus porro, hunc eundem *Irenaeum* etiam alibi magnas quasi partes et longam tractationem desumpsisse, ex hoc *Clemen-*

A 3

a) Libro III. cap. 21.

b) Stromat. libro I. pag. 341. edit. Col. Edm. Potteri, pag. 409.

te, alexandrino, licet eius nomen numquam prodiderit; quod quidem et parum liberale est, et quadam suspitione vix caret. Nobis autem hic iam obstat illa breuitas, qua maxime vtendum est, quo minus *utramque scriptiorem*, in duabus quasi tabulis diuisam, hic exhibere luculentissime possumus; quod alium in locum differimus. Sufficit, nos accurate designasse libros et folia ipsa, c) cum de animalium διχιδεῦρων mysterio, quod fingunt, hi scriptores exponunt. Longa hic oratio per omnes sententias et per omnes phrasas, sic conuenit: vt facile nobis persuadeamus, ne scepticos quidem atque Pyrrhonicos, porro de ea re, quam indicauimus, dubituros esse. Sed, vt trium testium auctoritate locupletiori vtamur, addimus documentum tertium; quod vel solum possit eius rei fidem facere; siquidem huius caeuae scriptor, ac est ille *Irenaeus*, vix videri potest graccorum auctorum eruditiorum adiumentis vsus fuisse. Ille igitur *Irenaeus* aliquot tamen sententias *Platonis* descripsit, libro III, cap. vltimo; atque annotarunt iam viri eruditi, priorem illum locum esse ex *Platonis* libro IV. de *legibus*; alterum vero esse ex *Timaëo*. Nempe *Irenaeus* ille legit *Platonis* tot scriptiões, atque nihil aliud ex eo didicit? Descripsit autem priorem locum ex *Clemente*, alexandrino, d) alterum vero aliunde e).

Hic et illud breuiter tantum indicamus, istius *Iustini* illam *cohortationem* ad graecos p. 24. edit. Colonienſis non solum istum *Platonis* locum ex libro IV de *legibus* recitare, cum illa eadem explicatione, *vetus verbum* designare *Mosis scripta*, sicut exposuit et scripsit *Clemens* ille, libro II; sed etiam multa alia, similiter ex *Clemente* esse in hanc compilationem deriuata. Vt vero redeamus ad *Irenaeum*, ille ibidem studiosissime id agit, vt *diuina auctoritas* tribuatur his *senioribus* interpretibus, vt adeo nomen *πρωτεως* retinendum sit. Hanc exilem sedulitatem solent postea et alii sequi; quos inter etiam *Tertullianus* iste est, qui et ipse magnam partem scriptiõnum illarum, quas eius nomine legere solemus, descripsit tantum ex *Irenaeo*, addita hic ibi verbositate ancipiti; licet

c) *Irenaeus*.

d) *Stromat.* lib. II. pag. 418. edit. Colonienſis, pag. 499. edit. *Potteri*.

e) Nos, quia breuitas non sinit, designamus tantum leuiter; *Clementis* lib. VII. pag. 703 edit. Colon. edit. *Potteri*, pag. 900.

cer numquam eius nomen recenscat. Illa certe adeo sententia *Tertulliani*, f) quam verbose explicat, *de virgine terra*, desumpsit ex Irenaeo, sicut alia multa; atque aliam Iudaeorum interpretationem loci Iesaiæ VII, quam Irenaeus hic reprehendit, non obscure similiter tangit: g), Signum autem a deo, nisi nouitas aliqua monstruosa, (nos abstinēbimus a monstruosa regula illa,) tam dignum non fuisset. Denique et Iudaei, si quando ad nos deiciendos, mentiri audent, quasi non *virginem* (*παρθενοσ*, ex *παρθενία* *iuuenculam*, (*νεαυς*, Theodotionis et Aquilae,) concepturam et parituram scriptura contineat: hinc reuincuntur, quod nihil signi videri possit res quotidiana, iuenculae scilicet praegnatus et paritus etc.,). Haec sunt satis aperte eadem illa, quae Irenaeus in oculis habet, licet latinus scriptor taceat nomen *Theodotionis* atque *Aquilae*, de quo latini nihil quicquam fando adhuc inaudiisse poterant. Sed nos iam hic non id praecipue agimus, vt suspectam illam duorum scriptorum harmoniam omnino in lucem apertam protrahamus; sed vt exemplo quodam luculento illustremus illam regulam nostram: diligenter nobis hodie distinguendam esse veterum scriptorum mediocrem facultatem atque indolem parum ingenuam, qui solent pro ingenii sui modulo, et pro temporis illa malignitate, non raro doctrinae suae adiumentum facere, quod nos impedimentum esse intelligimus. Adeo sequuntur *μυρολογους*, et molestam sedulitatem *in rebus paruis* adferunt. Non iam studiosius hic colligemus vniuersam illam humilioris atque infrugiferae doctrinae, quae Mariae virginitatem et ex illa deriuatum, si placet, beneficium maxime commendabat, omnem historiam; satis turpem atque foedam certe, succrescente per plurima secula sacro quodam stupore, qui religionis praestantiam praecipue spectari statuebat *monstruosis*, vt Tertulliani verbo vtamur, ideis et sententiis talibus, quae aliquid *παρθενοσ* atque inusitatum menti obicerent, cuius confirmatio christiana fidei quasi ipsam praestantiam constitueret. Idem ille Irenaeus *physicam* aliquam redemptionis hominum et *σωτηριας* causam atque viam informare solet, quae vniuersam christianisimi vim atque dotem sensim sic corrumpit, vt falsam tandem atque peruersam religionis formulam subnatam esse, mirari nemo harum rerum studiosus possit.

Ita

f) De carne Christi, cap. XVII.

g) Lib. III. aduersus Marcionem, cap. XIII.

Ita e. c. *Irenaeus* comminiscitur. ^{b)} „Quemadmodum illa, (Eua) virum
 „quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens, Cerant enim utriusque
 „nudi in paradiso, et non confundebantur; quoniam paulo ante facti, non
 „intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo
 „adolescere, ^{c)} dehinc sic multiplicari;) inobediens facta, et sibi et vniuer-
 „so generi humano causa facta est mortis: sic et *Maria* habens praedesti-
 „natum virum, et tamen virgo, *obediens*; et sibi et vniuerso generi hu-
 „mano *causa facta est salutis*. — Sic autem et Euae inobedientiae no-
 „tus solutionem accepit *per obedientiam Mariae*. Quod enim alligauit
 „virgo Eua per incredulitatem, *hoc virgo Maria soluit per fidem* (scil.
 „suam. „ *Tertullianus*, qui, vt iam monuimus, multa ex Irenaeo de-
 „sumpsit, et declamationis beneficio copiosius exornauit, simillime hunc lo-
 „cum tractauit, ^{k)} „Christus, — dei imaginem et similitudinem suam a dia-
 „bolo captam, acmula operatione recuperauit. In *virginem* enim adhuc
 „Eua, irrepererat verbum aedificatorium mortis. In *virginem* aeque in-
 „troducendum erat dei verbum, exstructorium vitae; vt, quod per eius-
 „modi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in sa-
 „lutem. Crediderat Eua serpenti; *credidit Maria* Gabriel; quod illa
 „credendo deliquit, *haec credendo deleuit*. Sed & Eua nihil tunc con-
 „cepit, in vtero, ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam exinde vt ab-
 „iecte pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit.
 „Enixa est denique diabolus fratricidam. Contra Maria eum edidit, qui
 „carnalem fratrem Israel, interemtorem suum, saluum quandoque praesta-
 „ret.

^{b)} Lib. III. cap. 22. §. 4.

^{c)} Admonet *Massuetus* hoc loco: „peculiaris Irenaeo sententia; primos
 „parentes in adulta aetate haud creatos, coniugio statim
 „natos, non existisse. „ Huius generis peculiare sententiae multae
 „reperiuntur in illis scriptoribus, quos solent *patres* dicere. At-
 „qui tales sententias sedulas debebant omnes doctores examini suo
 „subicere, atque meliores et certiores aliis praecire; saltim ius fas
 „non erat, tales sententias inter *doctrinas christianas* ideo referre,
 „earumque diuinam auctoritatem sancire, quia *patres* illi aut tradi-
 „tiones ita ferrent.

^{k)} De carne Christi, cap. XVII.

9.

„ret. In vulgum ergo deus verbum suum detulit, bonum fratrem, vt
„memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit Christo, ad sa-
„lutem hominis, quo homo iam damnatus intrauerat.“

Non excutiemus hic feuerius istam declamationem et molestem
sedulitatem, vtriusque scriptoris; qui suo ex ingenio depromunt tam inu-
sitatae tamque funestae doctrinae feueram formulam, quam Africani postea
et latini alii segniores auctores, oraculorum quasi in loco habuerunt. Suffi-
cit paucis admonuisse: nobis, si quidem casti sumus doctrinae sacrae inter-
pretes, atque amatores, hodie abstinendum esse ab istis parum iustis et
commodis sententiis, nisi porro Mariae beneficium quod et sibi et huma-
no generi praestitit, collaudare velimus, et hominum, quantumuis impro-
borum, prauam illam malignitatem, quam Eua tamquam diaboli frugiferum semen
naturae illam malignitatem, quam Eua tamquam diaboli frugiferum semen
ad omnes propagauerit, excusatum eamus. Scimus, discimus ex sacra do-
ctrina illa genuina, opus fuisse hominibus diuino ad recuperandam veram
salutem ordine atque nouo beneficio; scimus Iesu Christo id nos debere,
quod felici experientia nouarum rerum et diuina vera beneuolentia frui-
mur; sed et illud scimus, nec Iesum nec Apostolos docuisse, virginem Ma-
riam sic ad societatem beneficii nobis impertiti pertinere, quia virgo, *phy-
sice*, manserit. Nec illud *signum* hi optimi doctores in isto miraculo con-
stituerunt, quo Maria virginitatem seruauerit physicam, licet Iesum edide-
rit partum. His sacris *seruatis* et crepundiis quasi quod quidam olim de-
lectabantur, patimur et ferimus; sed nos non imitatur tam imperitos do-
ctores. Abicimus omnia illa rudimenta antiquorum scriptorum, qui ipsi
abfuerunt a perfectiori illa christianismi formula atque experientia. Num-
quam ergo, his et multis alijs doctoribus tantum auctoritatis tribuimus, vt
eos secuti hodieque illam sententiam, tam ancipitem tamque inusitatum,
repetamus: Mariam obedientiam suam, causam factam esse salutis hominum,
Pueris atque imperitioribus adhuc dabimus illam veniam, quam, si in no-
stram aetatem incidissent, forte vltro rogarent. Quanta enim fuerit eius *obe-
dientiae* laus aut virtus? Nos profecto longe minorem eius fructum esse
credimus, quam vt ad Mariam, atque ad omnes homines pertinere potue-
rit. Peperit filium; etiam sine thalamo sponsi, vt describitur; sed equis
hic locus collaudandae obedientiae tam salubri? Latissime patet hic locus,

B

vt

vt solet, veteris sententiae iure, dici: absurdum vnum, si admittatur, secum ferre absurda alia multa; itaque opus fuerat *mysteriorum* noua quadam tutela, ne probi et pii homines horerent et timerent vniuersae historiae, ob talia opinionum miracula. Bone deus! quantum pudendae malignitatis deprauationisque funestae per omnia secula illi doctores in rem doctrinamque christianam intulerunt, qui sibi licere putabant, aliorum hominum loco, reperire inuitatas eius historiae formulas, quae pertinebat ad Iesum e Maria natum! Testis est illa historia ecclesiastica, siquis scilicet intra adyta eius strenua atque liberali diligentia penetrauerit, quantum sacrae obsoenitatis locum habuerit: hominum illorum negligentiaque et improbitate, qui doctrinae sacrae informandae praecessu dicebantur. Tacemus *quaestiones* illas seculo adhuc nono agitatas, *quomodo* Maria pepererit. Quasi suo quodam nono iure, id sibi sumserunt, vt aeternis et nouis semper descriptionibus historiam Mariae illustrarent, et modum aliquem satis monstruosum *reperirent*, quo Iesum illa filium pepererit. His igitur studiis ipsam illam diuinam vim doctrinae salubris, et veracem *Severitas* illud Euangelium, (sic veteres multi eximie descripserunt illam prouinciam Christi,) silentio quasi et tenebris inuoluerunt, atque ex hominibus, loco christianorum, qui vitae suae noua indole diuinam doctrinae saluberrimae auctoritatem ipsi facillime commendarent, secerunt admiratores et spectatores historicarum picturarum. Qui enim quotidie nouis declamationibus istam historiam Mariae et nati Iesu Christi exornatum pictumque ibant, quomodo tandem otium atque opportunitatem nacti fuissent, informandae doctrinae illius, cuius tradendae et persuadendae causa vniuersam illam Iesu Christi prouinciam deus nobis prospexerat! Hic facile agnosceimus illorum merita et beneficia, qui aliam quasi doctorum fidelium et proborum classem constituunt; qui soli infrugiferis quaestionibus et miraculis, de *Severitas*, de reliquiis, imaginibus etc. se opponere ausi sunt, et salubrem doctrinam christianae instaurationis et veri christianismi diligenter commendarunt.

Horum igitur praeclara exempla et nos imitati, *Committiones* aestumatissimi, lubenter fideliterque fungimur hac publica prouincia sub hoc tempus, quo maximi beneficii, quod deus in humanum genus per Iesum natum contulit, sacram memoriam recolimus. Abstinemus a vanis et tur-

turgidis declamationibus; rerum vero ingentem illam causam atque indolem sic Vobis ob oculos ponimus, vt ad vtrosque summorum emolumentorum noui et saluberrimi fructus facillime redundare possint. Gratissima in deum mente agnoscimus illam tam longam et continuam beneficiorum nouorum seriem; quibus deus Iesum Christum fecit atque exhibuit sapientiam, iustitiam, sanctitatem atque redemptionem. Huius enim doctrinae salubris illa vis atque praesantia, longo intervallo post se relinquit cetera illa hominum proborum sapientem curam atque diligentiam, qua aliorum et sua comoda illa promotum iuerunt, quibus interna illa animorum perfectio continetur. Iustitiae autem, quae quidem rebus nostris recte agendis spectari potest, illa formula tam caelestis tam perfecta, vnde tandem nobis tam lucenter patescit, quam ex vniuersa illa Iesu Christi historia atque prouincia? Sanctitatis vero laetam et diuitem originem, quis tandem alius, inter tot virtutis praecones, nobis detexit? Itaque, cum deus tam multa instituerit noua atque inuitata verae felicitatis nostrae adiumenta, quid tandem malorum, siue domesticorum quasi et a nostra varia culpa atque imperfectione subnascantium, siue externorum superesse potest aut oriri, a quo haec tanta dei clementia, tamque comprobata per Iesum Christum nobis donatum benignitas, nos non certo et luculenter vindicet! Sed iam opus est nostro liberali et probo obsequio, vt hunc ordinem, quem nec deus alium reperire potest, verecundissima mente ipsi amplectamur, atque felici omine id iam agamus, vt ab illa turpi non solum et foeda, sed et indigna omni improbitate magis magisque liberemur, ne christiano nomine et iure indignos nos ipsos faciamus. Sic igitur per hos dies Iesum Christum, et eius doctrinam discite! P. P. die 24. Decembr. 1772.



[The text on this page is extremely faint and illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. It appears to be a dense block of text, possibly a list or a detailed account.]



Fe 4194

ULB Halle

002 623 889

3




SB

Retrov







15.

D. IO. SALOM. SEMLER

COMMENTATIO

DE CAVENDA MOLESTA
SEDVLITATE SACRA

AD CORRIGENDAS

QVASDAM IRENAEI ET TERTVLLIANI SENTENTIAS.

AD

SACRAM MEMORIAM

IESV INTER HOMINES NATI

LIBERALITER COMMENDANDAM



HALAE AD SALAM

EX OFFICINA HENDELIANA

